



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae  
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E  
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv  
Redivivae**

**Rhay, Theodor**

**Neobvrgi Ad Danvbium, 1663**

X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10835**

nihil reliquit: Similemque negligentiam & errorem in eiusdem cognato BALDVINO CLIVENSI Comite designans, cuius solum ex orbe hoc discessum sub annum D. CCCXCVI memorat, adijciendo *Praesulem Vltraiectinum* in ordine XVII sedisse. *Bucel. Chronicon.*

## IX

CASTROMONTII depositio illustrissimæ viduæ Comitissæ WALDETRVDIS, quæ sancti DENTILINI *Resse* in *Clivia* quiescentis, aliorumque trium *Sanctorum FILIORVM MATER* viduis omnibus Christianâ submissione, patientiâ, mansuetudine venerabilis extitit. Gloriosæ cæli Reginae supra quam satis explicari possit, addicta. Familiare illi fuit Beatissimam Virginem novies verbis Angelicis salutare, in honorem novem mensium, quibus Christus in *eius utero* habitavit. Eiusdem etiam Matris patrocinio vitam omnem ab omni lethali noxa immunem duxit. Mors illius plenissima fuit tenerrimæ pietatis, à Deo etiam miraculis honorata. *Ex Canis.*

## X.

ANNO Comes de *Blanckenberg* virtute & eruditione nobilissimam suam gentem ornans

L 2

vir

vir Deo & hominibus dilectus, *Lipsanorum Sanctorum indefessus conquistor*, sextus & vigesimus Cathedralis Ecclesiæ *Mindensis Episcopus*, cum sanctissimè annis aliquot rexisset, placidissimè in Domino quievit, cuius familiare symbolum erat; *Passus malum ignosce, ne duo mali sitis. Ex Chron. P. Bucel.*

## XI

**V**etus & verum est proverbium *fugientem, non ambientem sequi famam*, gloriam & honorem: quod suo illustris *WILHELMVS Dynasta de Genep* exemplo abundè confirmat; quem *reluctantem V BIA ad sedem Archiepiscopalem raptum, LVIII. Antistitem creavit. sic*

*Qui fugit, ille tenet; qui petit ille caret.*  
 Erat is Præful morib' & virtutib' eximi', in divinis tractandis cultissimus, & animus illi ad magna erectus, quo concitatus commissum sibi gregem fidelissimè pascere satagebat; neque totius illius vitæ cursus alius fuit nisi unicus cum vigili hoste conflictus. Mensa illi Principalis, sed frugi, & non prodiga; Aula admodum honesta, sed cultu modesta; Recreationes eius frequentes, iucundæ & fructuosæ, non pretiosæ, quo

fiabat